

Q. B. V. D.
DISCURSUS PHYSICUS
De

ATOMIS,

Quem

Deo Duce & Auspice,

*Adsentiente Amplissimo Collegio PHILOSOPHICO
in Celeberrima ad Auram Acade-
mia Regia,*

SUB PRÆSIDIO

Excellentissimi & Praclarissimi

Dn. M. PETRI HAHN

Naturalis scientiæ ibid. Professoris Ori-
narii Celeberrimi, Præceptoris & Promo-
toris jugiter colendi.

Loco publici speciminis proponit

PETRUS LANGELIUS
Junec. Smol.

In Auditorio Maximo die 28. Julij.
1688

A B O Æ,

Excus. à JOHANNE Winter / Reg. Typogr.

Mus. Groen

VIRIS

*Propter invictam vestram in Sacram Regiam
Majestatem fidem, propter pietatem nunquam sa-
tis decandam, propterq; merita in patri-
am Nobilissimis & amplissimis.*

Dn. LAURENTIO HULTEN Dn. de
Sidsunda &c. in summo & Regio quod Holmiæ
est dicasterio Adessori gravissimo, Mecænati
ac Promotori submissa animi reverentia aviter-
num colendo.

Dn. JOHANNI Silfwerck Dn. de Öhr-
näs & Leerberga &c. in Regiis Collegiis Came-
ræ Revisionis & liquidationis Assessori Amplissi-
mo ac consultissimo, Promotori & Evergetæ,
summâ animi veneratione ætatem devenerando.

Dn. PETRO KOMSTADIO in prænominate
Parlamento Regio ante hac Notario vigilantissi-
mo, nunc vero ibidem Commissario longè dig-
nissimo, Avunculo & Promotori maxime suspi-
ciendo.

1. ABRAHAMO HULTEN Summi
ejusdem Judicii Notario primario Celeberrimo,
Promotori atqve Fautori sincero animi cultu &
Obiervantia jugiter prosequendo.

FELICITATEM & ANNOS!

Pro-



Rodeunt in conspectum vestrum

O Musarum delicia, literarum
& literatorum Patroni, Semen-
tis meae primitia, quas licet te-
nues ingenii mei agellus produ-

xit, his tamen Amplissima vestra nomina præ-
figere non veritus sum, quia id fecit Magnus
vester in Musarum satellites favor, quem debi-
tis efferre laudibus vix Ciceronis lætæ eloquen-
tia ne dum mea simplicitas, potest. Itcirco
eundem sacro silentio involvo, atque humilime
obtestor, ut velitis O Mecanates & Fauto-
res optimi, hęc quaecumq; ingenii mei foetum
æqui bonique consulere & plus offerentis ani-
mum, quam quod offertur, sereno inspicere
vultu. Ferunt Augustum summum illum Ro-
manorum Imperatorem ex fortuito & tenui
apparatu collegisse, quam esset sibi familiaris
quidam ipsius civis, apud quem, quamvis vi-
lis esset sortis, cenare dignatus erat; Idem
de vobis Mecanates atque Patroni, judi-
cium faciam, si tenuem meam lucubrationem
in qua nihil præter simplicem & humi repen-
tem stylum (quamvis materia subtilitas elabo-
ratum exoptulet opus) vix reperitur, benigne
excipiatis. Quod si sensero limatiora alia vi-

ce, si Deus vitam subministrarit, promitto.
DEum interea cœli terræque statorem supplicî
veneror mente, dignetur vos Promotores maxi-
mè colendi salvos & incolumes sartosque ab o-
mni malo tectos diu clementer conservare, in
sui nominis gloriam, patriæ cui nati estis bo-
num, justitiæ cui dies noctesque patrocini-
ni incrementum, Vestrum commodum & emo-
lumentum Vestrorumque nominum immorta-
litem. Sera voveo sint fata, quæ vestras Am-
plitudines patriæ mihiq; adiment, & cum tri-
stis illa exoritur dies includat vos Cœlestis a-
strea, æternitatis aula, sanctorum politeuma!
sic pio vovet Zelo,

Vestrarum Amplitudinum

Atque

Dignitatum

Humilimus

Ac

Officiosissimus

PETRUS LANGELIUS

Smol,

Nec

Nec non

Viris Reverenda dignitate, prudentiæ gloriâ & doctrinæ elogio atq; morum decencia condecoratissimis Dominis.

DN. PETRO E. WIRÆSTADIO, ut paræciarum quæ Deo in Malmbeck & Almesåtra/ colliguntur Pastori meritissimo; ita & Patri meo omni filiali veneratione ac reverentiâ æternum colendo.

DN. OLAO Sandberg / dicasterii Juncopenf. Regii vice Notario celeberrimo, Evergetæ & Promotori summè devenerando.

DN. ZACHARIÆ COLLIANDRO Pastori in Åsenhöga & Kielleryd fidelissimo, Affini ac Fautori plurimum honorando.

DN. PETRO MOWALLIO Scholæ Ronnabyenf. Rectori accuratissimo, affini ac Benefactori multum suspiciendo.

PACEM & FELICITATEM ÆTERNAM!

Beneficiorum myriadibus à Tua
benigna sincera & benevola pa-
ternitate in me collatis responde-
re unicum esset votum, verum e-
nim vero cum iisdem solvendis nunquam
par esse queam, alto pioque silentio tantum
favorem involutum habeam & sol citius,
quod vel ad aras spondeo, splendorem su-
um, quam ego venerationem Tui & debi-
tum filii osequium linquam. Fatis enim ma-
lignis patrem meum à quo vitam habeo, e-
ripiantibus, in locum venisti Pater, Pater in-
quam verius quam vitricus. Tu præter vi-
ctum & alimentum, sedulam semper ac in-
defessam curam educationis meæ gessisti, ad-
hortationibus monitisq; paternis correxisti,
cum domi in tenella meæ ætate tum in Scho-
lis & Gymnasio quidquid ad corporis & a-
nimæ meæ commodum ex paterno fluere
potuit pectore, largissima subministrasti ma-
nu, easdem & mihi in exteris degenti oris
tulisti suppetias? Ast quid rependam? nihil
ut dixi habeo, solus Deus tantum compen-
set beneficium, vitæ Tuæ prolonget dies,
sospiter vitæ stadium ac demum in cælestia
ducat

ducat gaudia. Tesseram grati nunc suscipe
animi mei, pignus obsequentissimi filii, li-
neasque quas jam Tibi offert, paterna inspi-
ce fronte, ac filium Te post Deum maxi-
mè colentem favore consveto & indefatiga-
bili semper amplectere!

Vos itidem Evergeta, Fautores & affines
honoratissimi statuam hanc Chartaceam tan-
quam momentum gratitudinis nunquam in-
termorituræ erectam, favorabiles inspicite
& favore solito ne cessetis posthac amplecti
illum qui vestra nomina semper colet!

Pl. Reverendi Dn. Patris

Ut &

Honoratissimorum Evergetarum

Obsequentissimus filius

&

Additissimus

AUCT. & RESP.

VIRO JUVENI

Morum Literarumq; culturâ Præstantissimo,

Dn. PETRO LANGELIO,

Amico & commiliti perpetim
dilecto:

PETRUS LANGELIUS

Per Anagr. abj P. L.

GERE, NISU, SALUS.



EM GERE LANGELI NISU, ceu
mos tibi semper

A teneris fuerat; sit tibi multa
SALUS!

Dab. Raptis, Aboæ die 18.

Quintilis Anni 1688.

*L. Mg; quamvis aliis impeditus
gratabar*

SIMON TAPPO

Met. & Log. Prof. Ord.

h. t. Acad. RECTOR.

Ad

Ad
Præstantissimum Studiosum
VIRUM JUVENEM.

Dn. PETRUM LANGELIUM, Smol.
Amicum & ὁμοχώριον per dilectum, subtiliter non
minùs quam feliciter de Atomis
disputantem.:



Astitiem molis facilè est vidisse
Elephantis,
Balenaë, Ceti, membra stupenda
simul.

Centaurum paritèr gemino cum corpore,
monstrum,

Africa serpentes, quidq; novi revehat.

At simulacra videre latentia vel minimorum,
Difficilis nodus, difficilisq; modus.

Talia dispiciens PETRUS LANGELIUS hicce
Doctum discursu comprobat ingenium.

L. Mg.

*Festinâti calamo, quamvis insuffici-
enti scripsit*

ELIAS Til-Landz
Med. Doct. & Prof.

Per-

Pereximie Dn. LANGELI.

AN cælestes globi, ex interioribus
 suis mœandris exhalent quaedam
 suffumigia, an vero uniformi &
 simplici tantum luce ambulent in
 isto tam vasto æthereo oceano, incertum ad-
 bucest: Pugnantis pro utraq; sententia
 magnorum virorum opinionibus auctoritatibus
 experimentis & observationibus non planè con-
 temnendis. Id vero est certissimum, Globum
 hunc terrenum, continuos eructare exhalatio-
 num & atomorum globos, qui levati in sub-
 lime, condensatione, rarefactione, fuga, motu,
 pugna, irroratione immensas mundo afferunt
 utilitates; Exactis v. istis officijs, per naturæ
 pericyclos natales priscos repetunt & cella-
 ria, indeque rursus vadunt, ad beandam
 continuis magneticis Legibus naturam. Gratu-
 lor itaq; tuis studiis mi LANGELI, ac ut
 diu feliciter vivas, opto.

Adposuit
 T.

D. ACHRELIUS.

In Disputationem VIRI Juvenis
Præstantissimi Ornatissimique,

Dn. PETRI LANGELII,

Amici & commilitonis mei apprime dilecti,
de **ATOMIS** concinne elabo-
ratam, *ἡ διασφα.*




Idereo quæcunq; videt Sol clarus
ab axe,
Ex *atomis* multi confluitasse
putant.

Ast *asomi* quid sint? fuerint? quid condere
possint?

LANGELIUS monstrat noster, & am-
plus erit.

ANDR. WANOCHIUS.
Phil. Præct. & Hist. Prof.

Pereximie Dn. Respondens.

 *M*nes in evolvendis Sapientum scriptis occupatos, admirationem subire necesse est, ob divinum illorum in suadendo ardorem, in debortando ingenij vim, in judicando præclarum mentis acumen, de mortalium conditione ac variis illorum moribus. Quorum primum locum obtinet ille Doctorum splendor, cujus ore illud effatum promanavit: Etsi virtus amara sit, tamen fructus profert dulcissimos. Hoc Divino quasi Oraculo expromptum dictum, quilibet in Musarum castris militantes, ad quincuncem rationis perpendere debent, nec statim, dum inceperint vastissimum sapientie Oceanum penetrare (quod sine difficultatibus ac vigiliis fieri non queat) à tam laudabili instituto desistere, arbitrantur prius clavam è manu Herculis extorqueri, quam ejus sacra apprehendi posse. Quidam autem, adhuc ferè à limine sapientiam salutasti, obliti, illam tam altis defixam esse radicibus, ut non detur ad Musas currere lata via, luminum tamen instar venerari & haberi volunt: sed caveant illius farina homines, ne cum parasito ad sedem Palladis venire cupiente, à Musis è Parnasso dejecti, cum honoris & glorie mutilatione labantur.

*Iustiori autem animi lance Te Pereximie Dn.
Respondens hoc pensitasse, præter alios tuos e-
gregios in literis progressus abundè hic præsti-
tos, etiam hæc præsens tua docta Disputatio
proprio Marte elaborata, satis declarat. Non
te deterruerunt obstacula cum studiis conjun-
cta, sed spretis & devictis hisce assiduo labore
& sudore, apicem virtutis attingere studuisti,
satis gnarus, tali præcipuè modo acquiri bono-
res. Maacte itaq; virtute & eadem animi con-
stantia, qua laudabilia tua studia auspiciatus es,
etiam in posterum esto, quò, divina sic dissonen-
te industria, fructus largos laborum tuorum
brevis percipies.*

*Quod Optae
T.*

G. Klingstedt.

*Pereximie Dn. Respondens
Amice honorande.*



*Um primum literarum gloria, vir-
tutis splendor, artium bonarum
nitor & elegantia, elucescunt,
splendent, ac admirabili fulgore
micare incipiunt, cum illi qui sub literarum
vexillo militant, nudum nomen & titulum
non sustinent & sub ejus umbra sese tantum
tueri conantur, sed nomen illud virtutibus &
sapien-*

*sapientiam condecorare unice intendunt,
unice satagunt. Hinc exoptabilis studi-
orum meta, Academiarum gaudium, spes, læ-
titia. Natura vices, & fata, hominum in-
genia & mores, venari industria, assequi so-
lertiam, peragrarè assiduitate, penetrare con-
stantiam, judicio complecti, prodit animum ini-
tium sapientia, indolem præclaram, ingeni-
um illustre, sublimium rerum negotiis aptum
& grandibus dicatum muneribus: quæ tunc o-
mnium cum consensu, adplausu, laude & glo-
ria dextre administrari posse, nemo ambigit.
Hoc nomine Tibi gratulor P. D. R. felicissimos
in studiis progressus, qui per eruditam hanc
Tuam dissertationem cuiusvis sese sistunt: Per-
ge in posterum etiam invigilare Musis, omnem
move lapidem. Sponsorem me accipe & besau-
rum nunquam intermoriturum te inventurum,
quem nulla adimet calamitas, minuetq; lin-
gæ vel calami virulentia nulla. Vale.*

T.

FRIDERICUS von PREUTZ

Rerum

Rerum infinitarum scrupuli nec non disconvenientiæ innumerabiles nodi, mortalium animos haud parum turbant ac ad infinitas ferè cogitationes distrahunt, idque non in arduis difficilioribusve rebus tantum verū etiam in vilissimis; Ita ut vix ac ne vix quidem de unare, unum audire liceat iudicium. Nec est aliquid tam verum quod contentiosis ingeniis in dubium vocari non possit. (a) Quod abunde satis hæc nostræ dissertationis materia subtilissima contestatur, affirmat, quæ non minus Osores acerrimos, quam defensores benè multos atque gravissimos habet inter eruditos. Primo igitur ea obstacula quæ nobis ab adversariis nostris objici possunt circa quæstionem τὸ ὄν, seu an Atomī sint, remove re operæ pretium fore arbitramur, quo deindè

A

minus

(a) *Scen. Hyp. l. 4. c. 4.*

minus impediti quæsitum $\pi \pi \delta \delta$ seu quid sint, adgrediemur.

§. 2

Assertioni nostræ de existentia atomorum primus ille doctorum Antesignanus Aristoteles bellum indicit, qui atomos ante fuisse non vero post mixtionem rerum asserit, quippe in mixtione corpuscula hæc ita coadunita esse putat, ut amplius non possint esse, quod ante mixtionem fuerint: Et si corporum naturalium divisio concederetur, tunc processus in infinitum fieret juxta illud: *Continuum in infinitum dividi potest*. Sed miror sanè hæc in re cæcitatem tam oculati alias viri; Nos v. dicimus atomos & ante & etiam post mixtionem existere, & corpora esse tantæ parvitatæ ut nullam prorsus divisionem realem admittant, de Mathematica heic loci, quatenus Physicè loquamur, parum solliciti sumus. (A) Proponimus n. talem quæstionem: An atomi id est: corpora minima in rerum natura dentur? Illam affirmamus. Nam *natura non est capax infiniti* ut sonat probatissimus tam Physicorum quam Metaphysi-

(A) Senn. Hyp. l. 3. c. 1. pag. m. 86.

physicorum canon, sed semper finitatem amat naturalitèr loquendo: Nec necessarium est, ut principium materiale finiti, infinitas sit. (a) Deus namq; solus est infinitus, res vero omnes aliæ finitæ sunt, quamvis non semper & ubiq; respectu imbecillitatis intellectus nostri. Ut nihil dicam de vi oppositorum, quæ non parum fulcimenti nostræ assertioni addit, quia dato jam corpore maximo in natura (puta aquas supra cœlestes) utiquè corpus quoquè minimum dari omninò necessum erit, quamvis non *positive* tamen *negative*, ratio hæc est, quia si cuivis minimo daretur minus *positive* tum processus fieret in infinitum, quo nihil absurdius in sana Philosophia statui potest, ac id corpus in quo demum acquiescit natura, *ἀτομον* appellamus.

§. 3.

PRÆTER ea, quæ jam dicta sunt etiam pro nobis militat: *Experientia ipsa* nec non *unanimes doctorum consensus*. Aliis quippe neglectis clarissimum (b) in secandis raphanis experimentum habemus,

A 2

ubi

(a) *Hartnac: admi: Physl.* (b) *Inst. Spertl.*
l. 5 pag. 728.

ubi sentimus dolorem oculorum, sed unde iste, nisi ex atomis è raphano egredientibus. (a) Quid de minutissimis corporibus nunc vestibus nunc libris nunc parietibus, pulveris adinstar adhærentibus statuendum, atomi ne sunt? quid fumus? Quid vapor ex imis terræ recessibus in aërem ascendens? Quid ros, pruina nec non nebulæ nisi congregatio, myriadesquè immensæ atomorum, quæ congregatæ visibiles dispersæ vero invisibiles huc atque illuc in aëre volitant. Sagacitas quæso canum unde? (b) Quid fit, quod possint heri sui vestigia ab aliorum discernere? Id certè non fit ob alterationem aëris, sed ob minutissimorum effluviornm è corporibus Domini peregriniquè egressum, vestigiis utriusque in hærentium. Tecta ingruente frigore atque muri niveo splendent colore, causam plebei adscribunt frigoris egressui sed sivetè magis quam verè, nam propria *πρώτως*, non separantur naturaliter à suis subjectis. De pomis, carnibus vasisque
lignæ

(a) *Inst. Spcrl.* l. 5, pag. 729. (b) *Senn. Hyp.* l. 3, c. 1, pag. 12.

(5)

lignis hyberno tempore igni propius admotis ratio haud dissimilis esto, quod tam largiter nunc sudent, nunc intumescant.

§. 4

PLURIBUS atomorum existentiam corroborare minus necessarium esse duco, cum testimoniis, tam antiquorum quam recentiorum virorum excellentium scripta abundant. (a) Mochus Phenicus (quem ante Trojæ exidium floruisse memorant Conimbricenses ac Mosis σύγχρονος fuerit primus atomorum inventor extitisse creditur, post illum de Ionica secta Thales Milesius ac ejus successores Anaxagoras aliique qui omni alimento particulas inesse statuerunt teste Laërtio (b) haud exigui commatis viro. Hujus vestigia presse secutus est Archelaus vir in Physicis non parum laudatus, cujus mentionem Gessendus (c) facit. Democritus etiam & Plato (d) scientiæ naturalis peritissimi atomos dari non diffitentur. De secta vero Italica cujus princeps magnus ille Philosophus Pytagoras

A3

tagoras

(a) Lib. 1, c. 7. quest. 1. art. 3. (b) lib. 1, v. 834.
(c) In phil. Epict. (d) In Timæo.

tagoras verè statuitur nec non Leucippus & Democritus (qui ob incomparabilem suam doctrinam πένϑλατον ab Hipocrate salutatur, atomorum doctrinam sine rubore affirmant. Inter recentiores quoq; Franciscus Patricius, Sennertus, Scaliger, Sperlingius & multi alii Excellentissimi Philosophi eandem fovent sententiam, quos omnes recensere & tempus vetat & instituti ratio.

§. 5.

Remoto sic omnis dubitationis scrupulo circa quaestionem *An atomi sint?* propius accessum facimus ad ipsam *vocis declarationem*, quam origine græcam esse cuius patet. Dicitur namq; Atomus ab *a* privativo & verbo τέμνω (Isiodoro, Schapula & Budæo Græcæ lingvæ peritissimis testibus) quod significat, secundo, divido, inde à præterito medio τέτομα, τέμος pars dicitur, præfixo jam *a* habemus ἄτομος. Latine etiam atomus dicitur & significat nihil aliud ratione vocis, quam insectile, & quod in partes secari vel dividi nequit. Alii autem voculam hanc ἀπὸ τῆς ἀτμῆς deducunt, quos adeò ob id non culpamus, quod Hesycionem secuti.

secuti. *ἄτμος* enim flatum, halitum, vaporem & fumum designat, quorum convenientiam cum atomis vel exinde vidit quisq; quod & hi inter naturæ minima numerantur & prænominata effluvia, quamvis non primariò, secundariò in atomi non adeò inconvenienter nuncupantur.

§. 6.

VAriam nunc *vocis hujus usurpationem* breviter indicabimus. Infimæ fortis homines & illi qui parum in re tam subtili sunt illuminati, pulverem loco opaco per transversos solis radios volitantem in aëre atomos nuncupant. Sed illorum sententiam nostram minimè facimus, nam nimis crasse ut inquit Excellentiss. Sperling. (a) loquuntur, nescientes corpora illa quamvis minima videntur, per plurimos constare atomis. Nec cum Isidoro, tempori, numero & literæ atomos adscribimus, multò minus puncta intelligimus Mathematica, quæ nullam partem habent, uti istius scientiæ Doctores asserunt; Sed nos per atomos corpora Physica & quidem minima

suisq; dimensionibus constantia intellectos volumus.

§. 7.

PRæterea ut *diversam earundem nominationem* verbo tangamus restat, quia errorum genetrix est æquivocatio semper. (a) Appellantur enim minima naturæ, Atomi, atoma corpuscula, σώματα ἀδιαίρετα, corpora indivisibilia, principia prima, particule, Termini parvitatæ, materia prima, initia rerumq; semina. Nobis vero maximè placet vox atomus nam ut hæc certissima; Ita etiam apud omnes recentiores fideq; dignissimos philosophos frequentissima est & reperitur. His subnectimus ipsam Atomorū definitionem, quæ talis esto: *Atomi sunt corpuscula minutissima, ob summam exiguitatem individua, conjuncta visibilia, disjuncta invisibilia, mobilia, variasq; producentia actiones & passiones.* Hæc genere constat & differentia specifica; generis loco vocem corpusculorum ponimus, existimantes extra omnem dubitationis aleam esse, atomos corpora dici quamvis valde exigua, materiâ formâq; gaudentia. Differentiam speci-

(a) Senne. Hyp. l. 3. c. 1. pag. 82.

specificam indicant earum affectiones, *quantitas* scilicet minima, *indivisibilitas*, *invisibilitas* & *Mobilitas*, nec non effecta, *actio* & *passio*, de quibus omnibus suo loco fusius nobis erit dicendum.

§. 8.

Quantitatem Atomorum minimam esse, ut sæpè ante affirmavimus, confitemur, quippe quæ omnem visum fugit ac indivisibilis est. Cujus sententiæ defensor acerrimus est ipse Plato (a) Philosophorum nequaquam ultimus, qui in hæc verba erumpit dicendo: *De his omnibus adeo parvis ita putandum est, quod si singula duntaxat singulorum generum capientur, nullæ earum propter parvitatem cerni à nobis poterint, si multæ invicem congregentur, earum moles & magnitudines cernuntur.* Hoc confirmat acutissimus Franciscus Aquilonius (b) ubi dicit dantur corpora adeo parva ut citra interitum magis attenuari non possunt, & si amplius dividerentur & formam & essentiam deperdunt. Ulterius exemplis in re tam plana opus si esset, evidentissimum haberemus in ipso fumo
nec

(a) In *Timæo*, (b) *l. 5. Opt. propos. 8.*

nec non in aliis vaporibus, qui dum primum ascendunt, facile videntur, sed paulo post dum separari incipiunt, magis cerni à nobis nequeunt, quæ causa? nisi quod atomi quæ antea congregatæ fuerunt, nunc sui juris simplicesque factæ propter summam suam exiguitatem visu percipi non possunt, Chymici etiam suis probationibus atomorum quantitatem minimam esse, probant, cum dicunt corallium in tam resolvablem liquorem redigi posse ut papyrum sine læsione aliqua pertransire queat. Hinc quam vacillans sit eorum sententia, qui animalculo Acari minutissimo, quantitatem in natura minimam adscripserunt luce meridiana clarius constat; (a) Nam quamvis animalculum hoc valdè exiguum sit, quod in dubium revocare verat auctorum hac in re consensus, est enim adinstar punctuli, & ipsius membra, non nisi microscopi beneficio discerni possunt, nihilominus tamen omnibus numeris perfectissimum est, & perplurimas atomos in se comprehendit. (b)

Mira

(a) *Senn. Hyp. l. 3, c. 1, pag. 104.* (b) *Synop. Pbyf. Sparl.*

Mira sane hæc res multis videtur, sed non superat naturæ potentiam, quæ in hisce minimis viribus maximis pollet. Sed nec heic affirmamus omnes atomos ejusdem esse quantitatis, quia earum diversitas ex diversa, cujusvis forma profuit.

§. 9.

Brevissimis sic descripta atomorum *quantitate* & temporis & instituti ratio jubent *indivisibilitatem* earum paucis delineare, cum & hæc illis optimè convenit. verum enim est, quod cum natura ad terminum suum minimum pervenerit, absque interitu suæ formæ divisionem nec admittit nec patitur, quin & ipsa ratio evitandi processum in infinitum id satis dicitur, affirmat, innuit. Sed qui contrariam fovent sententiam, hunc in modum argumentantur: *Corpus minimum æquè ac corpus maximum materiâ & formâ constat, & ubi materia, ibi quantitas, ubi hæc ibi extensio quæ nihil aliud est, quam positio partium extra partes, ubi vero partes ibi etiam est divisibilitas* (a) Hic ut jam antea diximus

(a) Hartn, adm, Pbyf, pag. 275.

mus, probe distinguendum est, inter divisionem Physicam, quæ semper consistit circa naturæ minima, & Mathematicam seu mentalem. Hanc quidem concedimus quantitatem ut à Geometris inspiciatur, nempe à materia abstractam, esse infinite divisibilem quia nusquam nisi in mente Geometræ reperitur. Physicus autem, quantitatem ut materiæ immerfam contemplatur.

§. 10.

Sed ut criticus rarò unâ acquiescit resolutione quamvis res sit satis clara, verum semper nodum in scirpo quærit; Ita etiam nostræ sententiæ oppugnatores faciunt, qui ulterius pro stabilienda sua Thesi ratiocinantur, dicendo: *Totum continuum nihil aliud revera est, quam sue partes, si hæ indivisibiles, Utiq; & totum idem erit, quod tamen absurdum.* Nos autem heic observamus totum varijs modis sumi, (a) nempe primò *Materialiter & formaliter* posteriori modo partibus opponitur. Deindè etiam rectè distinguitur inter totum *integrale & Essentiale, Homogeneum & Heterogeneum*

(a) *Hartnac, in prædicto loco.*

nenum. Quibus ritè observatis nulli dubitamus, quin immota stat atomorum *indivisibilitas*. Insuper notum est, quod non semper verum est de partibus quod de toto dicitur ut e. g. Homo mortalis, non vero anima, quæ ejus pars est. His addimus verba Excellentissimi unius alteriusve Philosophi, in nostris castris militantia, in primis subtilissimi acutissimi-que, Scaligeri quæ ita sonant (a) *Sic delentur tot dubitationes de instanti atq; indivisibili, sunt enim actu indivisibiles atomi, & sensu, non verò potestate Mathematicè intellectiois.* Adhuc sententiam nostram roboramus verbis alterius consummatissimi ac in hisce approbatissimi viri, quæ ipsemet ita profert. (b) *Nunquam potui inducere animum ut crederem corpora in infinitum esse sectilia, nam ejusmodi processus in infinitum in rerum natura non occurrit. Quis credat pedem acari vel minutissime arenule granum posse in infinitum dividi? adeo ut qua summa est absurditas per totam eternitatem secari possit, neq; unquam partes*

(a) Exerc. 103. (b) Job. Btpt. Du Hamel, l. 2. de conf. V. & N. Phil. cap. 3.

partes omnes exhauriantur: sed longe plures ex continua divisione prodeant, quam arena sint grana in toto oceano! Imo quam totum universum capere queat. Et sic de hac atomorum affectione satis dictum esse judico.

§. II.

Sic transactis scopulis evictisq; modo aliquali instantijs adversariorum circa atomorum *indivisibilitatem* ulterius pergitur in ostendendo atque probando eandem *invisibilitatem*. Idque præter ea quæ prolixè de hac, in parag. nostro octavo dicta sunt, *Experientiâ & Rationibus* probatissimorum virorum. Ad eam quod spectat, vix dubium est, quin firmo stet talo; Nam quis unquam videre potuit *igneorum* atomorum præsentiam in domo & aqua calefacta? (a) Quis aërearum sc. simplicium in lignis solidis, lapidibus Metallis nec non rebus aliis ingressum? quis *aquearum* puta simpl. in ligneis vasibus, pomis fructibusque aliis tempore hyemali? Quis *terreorum* atomorum adventum poculo infusa aqua limpida? profecto nullus, certissimum

(a) Sennert. Hyp. l. 3. c. 1.

mum tamen est, eas omnibus modo recensitis inesse. Sed nec hic confuse & absque discrimine de atomis simplicibus atque compositis, credat nos aliquis loqui, quia inter has summa differentia est. *Rationibus* quoque gaudet hæc nostra assertio firmissimis, nam qualis quæso proportio est inter atomos sui juris factas, & organon nostri visus? (a) Sunt enim corpora minutissima, quæ nullam de se speciem spargunt; Unde jure meritoque cum clarissimo Sperlingio eas raro visibiles, sed sæpius tenues & invisibiles esse, affirmamus.

§. 12.

Nunc atomorum sequitur *Mobilitas*, qua mediante ab uno in alium locum mobiles sunt: Hic tamen statim, ne ansam arguendi spontè adversariis nostris demus, accuratè notandum esse discrimen volumus, inter *motum* quatenus actum movendi & inter *mobilitatē* quatenus, potentiā denotant. Verum namque est quod quamvis atomis motus conveniat, ob id tamen illum, earum, inseparabilem esse affectionem non affirmamus, quia non omne corpus potentiā

(a) *Inst. lib. 5. pag. 729.*

gaudens eandem semper producit in actum; Sic etiam atomi quamvis potentiam habent semet movendi, illam tamen non semper exercent, sed interdum ut videmus moventur interdum etiam quiescunt. Et hinc constat *mobilitatem* non vero *motum* earum propriam esse affectionem. Estque hæc *motio* varia vel *Recta* cui atomorum, ascensum & decensum adscribimus; Vel *obliqua* qua in gyrum feruntur; vel *Reluctiva* qua vacuo resistunt, nunc huc nunc illuc se flectendo atque sic ad munia sua, ad quæ à Governatore omnium facta ac creata sunt, præstanda properant, pergunt obiter.

§. 13.

Uti jam pro modulo ingenii quamvis simpliciter doctrinam affectionum atomorum absolvimus; Sic nunc restat, ut aliquid etiam de earum divisione dicamus, postea v. *effecta* qua par est brevitate pereuremus. Nos, quamvis latior non nihil est hæc divisio, atomos in *simplices* & *compositas* dividimus. Ut ut compositas illas, atomos vocemus non

σεμείως ἢ πέδρωσ, sed ἀκέρως καὶ ἀδιείρωσ,
simplices illas vocamus, quæ jam
 tantâ parvitate constant, ut Physicè am-
 plius dividi nequeant. *Compositas* v. quæ
 ex his oriuntur. Hanc divisionem sibi
 satis constare arbitramur, & fundamen-
 to etiam niti satis valido, quia si atomi
simplices corpuscula sunt tantæ parvitat-
 is ut in alia minora vel se priora dividi non
 possint, utique vi oppositorum sequitur,
 atomos *compositas* talia esse corpora,
 quæ alia, se quidem priora agnoscunt, de
 quibus ducunt suam originem sed tamen
 tanta gaudencia parvitate, ut inter ato-
 mos, etsi non propriissime sic dictas, me-
 ritò recenseri debent, & dicuntur alias
 prima mixta, prima minima. Et ita mi-
 nus nobis Magneni sententia placet, qui
 distingvit atomos in *substantiales & Ac-*
cidentales. Alii v. dividunt eas in *Ele-*
mentares & non Elementares seu in *Ele-*
mentares & Mixtas.

§. 14.

Præmissa tali atomorum divisione, in-
 primis *Elementares* breviter percurre-
 mus, deinde quantum temporis ratio

permiserit, inspiciemus *mixtas*. (a) Vix adhuc aliquis tam stupidus inventus est, qui ausus fuerit negare *Ignneas* atomos dari, demonstrat namq; has, inter alia ferum, quod quamvis valdè solidum sit, videmus tamen igneas atomos id totum penetrare, atq; adeo fervens reddere, ut quasi in ipsum ignem esset mutatum. Quid de aqua fervida sentiendum? Nonne calor, qui accidens est, sese in aquam insinuat, relicto suo subjecto? Nihil certe minus. Accidentis enim esse est inesse, & hoc tam debile est, ut sine suo subjecto nunquam existere potest. Ferum igitur candens & aquam calidam faciunt atomi igneæ, quæ per poros nobis inconspicuos sese insinuant. (b) Videmus etiam ea quæ in veribus affantur, ab igne minimè tangi, sed ab ipsius atomis. Audivimus etiam sylvas fervidissimo æstatis tempore accendi, ab atomis igneis aëri permistis. (c) Fumus qui ascendit, per plurimum ignis in se habet, flamma quid nisi fumus ardens, nam

(a) *Scal. Exerc. 14.* (b) *Idem Exerc. 9.* (c) *Senner, Hyp. l. 8, c. 1.*

nam est coitio & unio particularum ignis,
& tantum de atomis Igneis.

§. 15.

Nunc pedem promovemus ad *Aëreas*
atomos, quas etiam facilimæ pro-
bationis esse autumo. Totus enim aër
nihil aliud est, quam acervus immen-
sus atomorum. (a) Metalla sonum e-
dunt, idque ab nullam aliam causam,
quam quod aëris minima, per suos oc-
cultos meatus ingressa, illorum intima
occupaverant, quippe aër soni subjectum
est. Præterea, si quis baculum in una ex-
tremitate tangat auremq; alteri admo-
veat, sonum percipiet. Solent & illi
qui procul exortum cupiunt audire stre-
pitum aut tintinabulorum sonum, cor-
pus ad terram curvare, quo eundem me-
lius audiant. Qui etiam fiat quod quæ-
dam ligna strepitum movent inter uren-
dum, nisi quod aër antea poris inclusus,
vi summa qua potest, erumpere studet.
E cantharo aquam aut vinum vitro quæ
infundit nonne *aëreas* atomos clarissimè
videt. (b) Et ut verbo dicam quod res
est; ubiq; locorum sunt ac reperiuntur,

B2

quia

(a) *Senn. l. 2. p. 88.* (b) *Harv. in sua Adm. Pby.*

quia in illum finem ab omnium directore atq; creatore facta sunt, ut vacuum, à quo natura non parum abhorret, impedirent, eidem resisterent nec non obstaculo essent.

§. 16.

MIssis atomis *aëreis*, paucis *aqueas* declarabimus: Nam & hæ, non minus ac prædictæ in rerum natura & sunt & existunt infallibilitèr, quod experientia, rerum magistra comprobat, evincit, contestatur. (a) Videmus n. aquã facili ratione in suas atomos redigi, beneficio ignis. Videmus januas postquam cecidere pluvix uberiores, & claudi & cum molestia aperiri. Videmus etiam vasa lignea aquæ immersa rimulas amittere: causam atomis *aqueis* adscribimus, quia dum illæ sese insinuant, turgent ac moie quasi augentur ligna. Cessante frigoris vehementia, ex turribus, lapidibus, signis nec non aliis, niveum quid egreditur, ob egressum atomorum *aquearum*, quamvis vulgi palato non arideat. Ut omittam nostrum frigus, vapores, guttulas aqueas tempore hyemali fe-

(a) *Clariff. Sperl. lib. 6. 2.*

li fenestris adhærentes, & alia multa, quæ omnia nihil aliud sunt quam atomorum *aquearum* innumerabilis multitudo. Sed in hisce ulterius morari, præsertim cum res in se adeò plana sit, ut vel cuivis tyroni constat, minimè fore necessum, mihi satis persuasum habeo.

§. 17.

Proindè *Terreas* nunc aggredior; Et quamvis inter Elementa, terra omnium crassissimum sit, tamen & ipsa per minima sua corpuscula, aliis sese insinuat, ut videre est in aquis limpidissimis, ubi atomi quidem quamdiu huc atque illuc ruunt, non tam facile possunt visu percipi; Ast dum conjunctæ fuerint, & gravitate qua gaudent propria, & inclinitione naturali, ad fundum tendunt, vel etiam in lateribus nec non obstantibus aliis corporibus solidioribus congregantur, unde topthorum generatio & tartari moles. Qui frumenta ventilabris purgant, eorum nares, crines & vestimenta pulveribus replentur; lintea sub dio exposita, aqua pluviali maculis consperguntur, quod quin ex atomis

Terreis fit, nullus unquam dubitavit. Et tantum de atomis Elementaribus.

§. 18.

ADdimus nunc pauca de *atomis mixtis tam animatorum quam in-animatorum*. *Meteora* omnia atomis variis constant: Chymici etiam ostendunt *Metalla* in atomos minutissimas resolvi posse, quod & nos antea innuebamus, faciunt namq; ex auro atq; argento omnibus partibus consimilem massam, quam aquæ fortis infusione iterum segregant; ita ut aureæ aurum, & argenteæ argentum ostendat. Ex *pice* etiam atomi exeunt, nam si quis exiguam ejus partem accendat flamamq; statim supprimat, ingentis aëris spatium, immensa ex pice egressa atomorum multitudo, replet. Quamquam quæso atomorum copiam *Elychnium* extinctum de se spargit: *Plantarum* atomos quis nescit? *Herbarum, animalium, purgantium* nec non multarum rerum aliarum nec lateat quemquam. De quibus singulis fusius quidem nobis esset agendum; sed forsitan magis B. L. favorem tanta curiositate parum utili obfuscamus, quam eundem in nos accendimus. Quapropter

inte.

intermissis jam hisce, atomorum *effecta*, quorum in præfixa nostra definitione mentionem fecimus, penitus inspicere animus est. Inprimis v. *à* nostro proposito alienum non foret, ut aliquid de atomorum *formis* diceremus, nisi temporis brevitatis obstaret, aliaq; impedimenta. Id autem dicimus quod earum formæ variæ sunt, sicut & ipsæ diversis constant generibus, & hoc tam certum est, quam quod certissimum,

§. 19.

Sic divina suffulti gratia, divisionem atomorum festino pede percurrebamus, levi quoq; penicillo rudiq; minerva varia earum genera indicavimus. Nunc v. earum *effecta* quæ in *Mistione*, *Generatione* & *Corruptione* consistunt ulterius persequimur. Sed antequam acriori mentis indagine consideraverimus, modum seu quomodo atomi sese in mistione rerum habeant, variam hujus vocis usurpationem, uno alterove verbo discutere placet atq; explicare. Usurpatur namq; apud Philosophum sui seculi probatissimum. (a) Thomam Erastum.

(a) *Disp. 2. cont. Parac. p. 49. 19 s.*

tripliciter: primò illi congeriem & acervum rerum commistarum, ut milii, tritici, hordei ac variorum generum frumentorum, significat, sed hæc mistio non fit *Formaliter* sed per *accidens*. Deindè, sub mitionis vocabulum Duorum, trium vel plurium corporum confusam commixtionem comprehendit. Quale corpus ex vini & æquæ admistione constituitur, diciturq; crama. Et hæc est artificialis mistio. Tertiò dicit mitionē fieri quando ex corporibus pluribus unum perfectum constituitur corpus, servata tamen singulorum forma integra, atq; illibata. Priores non facimus nostras, hanc vero amplectimur. (a) Nam *mistio* (teste Philosophorum lumine) est *motus corporum minimorum ad mutuam contactum ut fiat unio*: per motum hic formam intelligit, per quem fit, ut partes quæ natura sua atq; aptitudine coire poterant, ad unionem, unum actu sint. Atq; sic ad eorum castra non confugimus qui in rerum naturalium mitione adserunt: *Elementa concurrentia inter se pugnare, frangi & refringi, agere & re-*
agi

(a) *Scal. Exerc. 101. Sect. 1.*

agi atq; ita invicem alterari, ut qualibet pars misti, mista sit, nec amplius jam esse, quod ante mixtionem fuerint: sed tutius eorum assertioni annuimus, qui statuunt atomos, etiam in mistis suas naturas integras servare ac immutabiles. (a) Nam quamvis, atomi variè se diffundunt ac ex iis mista constant, (b) simul tamen incorruptæ manent & suas formas Specificas & elementares quocunq; modo misceantur, servant, & si iterum separentur ab iis, cum quibus antea fuerunt commixtæ, (c) retinent easdem integras, (d) quia hæc earum quasi Rectrices sunt, quæ eas temerè & pro lubitu jactari non sinit (e)

§. 20.

Quamvis *mistio* & *misti generatio* non re ipsa sed ratione differant, ambo enim significant quendam progressum ad formam misti: nihilominus tamen, pauca etiam de hac sigillatim sub-
 jicimus, ostendentes non minus hanc

Bf

quam

(a) *Exerc. Sper. pag. 518.* (b) *Hart. adm. Phys. pag. 279.* (c) *Senn. Hyp. l. 3, c. 1.* (d) *Luce. l. 2.* (e) *Scal. Exerc. 307, Sec. 20. Senn. l. 3, de Gen. & Cor. cap. 3.*

quam mixtionem ex atomis fieri. Unde Meteora & omnia corpora, atomos principia sua constitutiva agnoscunt. (a) quid ignis lambens? quidve Draco volans nisi varia atomorum dispositio. Notum etiam est in generatione viventium, minima minimis jungi, & ex his, quò nobiliori subsint formæ, eò nobilius atq; elaboratius corpus constitui: quod affirmant Democritus, Empedocles, Anaxagoras, Plato aliiq; experientissimi viri, qui omnes sine rubore statuunt omnia sublunaria ex atomis generari, haud secus ac ex lapidibus, luto & laterculis formatur domus; & ex literis diversimode dispositis, gignuntur dictiones & orationes. Videmus igitur hoc sapientis antiquitatis dogma de generatione rerum ex atomis, à suis osoribus magis esse irrisum quam convictum, quia rationes à parte nostra pugnantes minimè futiles sunt, sed potius

(a) *Senn. Hyp. l. 3. c. 19*

tius tales, quæ tam facile solvi non possunt. Quare etiam Philosophorum Princeps, (a) dum hanc sententiam refutare conatus est, non propriis & Physicis rationibus, sed Mathematicis utitur.

§. 21.

AD ipsam rerum *corruptionem* nunc cum Jehovah benigno ulterius progredimur, ostendentes & illam in atomis consistere, tam quæ *naturalis*, ut putredo, quam quæ *violenta*, dicitur. (b) animalia enim mortua & plantæ dum putrescunt, non statim in Elementa resolvuntur, sed potius in principia Chymica quod vel odor atq; fætor ex iisdem corporibus egrediens, facile evincit, qui nullius elementi, sed mistorum corporum proprius est. (c) ut nihil dicam de diversitate odorum, quæ tanta existit ac ipsa rerum varietas (d) Nam ex quibusdam corporibus gratus provenit odor,

ex a-

(a) *Arist.* l. 1. de Gen. & Cor. c. 2. (b) S. Wir-
digin sua *Medi: spir.* (c) *Senn. tr act. de Conf.*
& *dis. cap. 12.* (d) *Wolf, Fran. in Hist. animo.*

ex aliis verò pestilentissimus tètèrrimusque, undè etiam pestis, sc. ex atomis, suam non rarò originem habuerit, modo historicis fides sit habenda. Atq; sic *Sabatella* sententiam non amplectimur, qui statuit: Combustionem esse totius misti in unum tantum Elementum, sc. ignem, misionem, excepta aliqua parte terræ. (a) Nec eorum partibus favemus, qui dum vident fumum ascendere aut vaporem, opinantur illum in Elementa esse resolutum. Sed contra hos statuimus, ignem & sua minima sibi retinere, & etiam aliis particulas suas tribuere. Quod circa distillationes & sublimationes Chymicas, ubi ignis nunc vehementior, nunc lenior adhibetur, jam dudum observatum est, & quamvis ignis æque ac vapor ascendens, ejusdem generis esse videntur, tamen dum vasis alembicis excipitur, resolutionem in atomata corpuscula sui generis facilè quis deprehendet.

§. 22.

Ultimò atomis etiam *variarum aliarum rerum mutationis causam adscribimus,*

(a) *Senn, lib. 2, de Mist. Gen, & Int, c. 2,*

bimus, quod uno duntaxat alterovè exemplo, nam brevitati summopere studemus, declarabimus. Aquilæ & corvî per longum intervalli spatium ad cadavera volitando properant, unde id nisi ex atomis in aère hærentibus? quare quæso vociferantur boves cum venerint ad illum locum ubi jam antea mactata fuerit vacca, nisi beneficio atomorum fieret? videmus canes venaticos feras imò res heri amissas absque ulla difficultate reperire. Sentimus dolorem ex morfu angvis quamvis vulnus sæpè tam exiguum sit, ut visum ferè fugiat, corpus tamen intumescit, unde, nisi ex atomis è veneno egressis, & per omnes ejus anfractus serpentibus. Haud dissimile exemplum, naturalis scientiæ peritissimus Joh. Bauchinus (a) nobis proponit de rustico quodam, qui dum vipera levissimo morfu digitû ipsius præstrinxisset, minus cautè eundem ori admovet, ut sanguinem sugendo exhauriret, sed venenum confestim pertotum ejus corpus diffusum est, atque sic vita ipsum destituit, causam

(a) *In Tract. de lup. rabidis.*

causam hujus subitanæ mortis merito
 quivis atomis adscribit. Plura addunt
 exempla celeberrimi Physici Sperlingius
 (a) & Fernelius (b) quæ heic annotare
 non solum frustraneum, verum etiam
 tædiosum prorsus fore arbitror. Iccirco
 vela imbecilli ingenii mei contraho
 Cymbamque hujus disputatiunculæ in
 portum duco, ubi sub umbraculo Tuo
 Candide Lector sarta tecta si manserit,
 altum forsan adhuc semel
 petere non veretur.

(a) *Inst. Sperl. lib. 5 pag. 742.* (b) *lib. 3. de
 abd. rerum causis.*

Tantum.

*Gloria Trinuni nunc & in
 seculorum secula!*

Per-

Pereximie & literatiff. Dn. Respondens
Fautor & amice honorande.

Inter humana bona, inquit Nazianzenus,
Scientia velut Regina mundi primum obti-
net locum: cibus est anima, fons bonorum
omnium. Hinc insignibus ornandi sunt elogis,
qui optimarum artium studiis non rudimen-
tis tenuis attingendis, non eminus ac voto
affectandis, sed interiore ambigendis commer-
cio, incumbunt gnaviter, feliciterq; proficiunt:
qui communibus reipublice utilitatibus suam
cupiunt etatem, suam opem rite consecratam?
At armet se duritiâ pectus, ut iuaudite sce-
leritatis rebus vacet. Obstacula, in quibus
primas tenent partes Invidia & calumnia è
Megara matre sua effusa, mundum implent:
prosit cultoribus! Gangrana illa, qua semel
fibria adhaesit, æternum insederit: præcordia
invasit tam fixis altissime radicibus, ut in e-
vellendis vel succubuerit Æsculapius, sat va-
lidum adferens Pharmacum; vel Herculis
clavi ad expugnandum preparati inanes re-
silierint: Homunciones hosce rident vere The-
sei, qui generosè contemptis debacchantium in-
sultibus & incondito fragore ad virtutis api-
cem animosè contendunt. Nam improborum
malitiam imprecatione bona mentis, præfra-
ctorum arrogantiam exemplo modestia, curi-
osorum ineptias, gravitate instituti resellere,
Sapientis est. Ingenerasti animo Tuo Perexi-
mie

mie Dn. Respondens magnificam virtutis &
honoris estimationem, cujus aculeis ferri &
feriri dudum aspiciatè incepit, continuavit
laboriosè, perfecit bono cum Deo feliciter.
Ob oculos posuisti hominum conditionem &
vanam illam speciosa vanitatis pompam in
fragili signatam luto, scenæ, fugienti simi-
limam, haud ignarus omnia lubrica, præter
Dei timorem & rerum honestarum gloriam, in-
ter quos velut cardines omnium actionum
curricula volvuntur. Macte virtute miles!
Hoc unicum votorum, desideriorum interpre-
tamentum tibi transmitto. Deus benedictio-
nem Tibi largiatur exundantem, ut egregia
tua studia, quæ doctissima hac tua disserta-
tione elucescunt, progressus, maturitatem, suc-
cessus perpetuos sentiant & consequantur!
Donec illi visum fuerit Te annis onustum &
meritis illustrem velut surculum, hortor inse-
vere sælesti. Vale.

T. addictif.

J. F.

Perexi-

Pereximie DN. LANGELI,
amice honoratissime,

*didicisse fideliter artes
emollit mores, nec sinit esse ferus*

CAnit Poëta O fructus doctrinæ largissimus, uberrimus! Inscitia & ignavia torpentes, segnesq; delicatuli feritatem inducunt brutalem, superbiam Leoninam, rabiem aprinam, mordacitatem caninam, solidâ verò tincti doctrinâ, humiles, modesti sunt, nulliq; molesti. Ast quorsum isthæc? Satyrico non soleo quempiam stringere stilo nec atro notare carbone, dolendum tamen dico inter ingenia Deo & Musis sacrata reperiri nonnulla, quæ pietate neglecta virtuteq; omni postposita, nunc Baccho, nunc Veneri litant strevillimè, tanquam vitia sectari, turpibus delectari, unicum esset veri studiosi officium. Quædam amicabili *αυταδσία* infania infatuata *fumos vendunt*, id est, peste adolescentum *Φιλαντία* correpta sunt, quæ totum eruditionis pelagus se hausisse falsò imaginantur, cum tamen imaginaria sit & umbratica eorum eruditio, ad quam pervenirent facillime, nisi se pervenisse putassent, teste Seneca. Hoc morbo, si verum fateri liceat, magna, proh dolor, juventutis pars laborat, qui tantò periculosior; quantò minus sentitur. Primus ad sanitatem gradus est morbi notitia, dicunt Theologi, dicunt Medici. undè rarò aut nunquam ad meliorem redeunt mentem, qui pestem hanc nec intelligunt, nec sentiunt, tales verò animæ vanæ persuasionis hordeo pastæ sapientiæ succum extinguunt, opinione merâ quæ solidioris doctrinæ everricu-

lum est, & profunda ignorantia mantile, frustrata.
Contra solido instructi doctrinae Thesauro hos ri-
dent, aspernantur. Tinnunt inania vasa; ita in-
genia stulta ferocientia superbia docta volunt vide-
ri, cum tamen doctrinam in cortice quarant, &
nucleum nunquam consequantur, unde etiam virtu-
tes exulant omnes, pietas in Deum, parentes &
praeceptores, in commilitones amor & jucunditas,
in inferiores affabilitas prorsus in his extinctae imò
sepultae jacent. Cum verò Tu pereximie DN. LAN-
GELI. solidam secleris doctrinam, quam etiam nunc
laudabili caevi Academico probatam facis, dum
egregie conscriptam disputationem defendere labo-
ras, non possum te non laudare, & prosperum stu-
diorum progressum apprecari. Materiam selegisti
fatis subtilem, in qua quidam desudarunt feliciter,
quidam verò non. Det Tibi Astripotens Deus fe-
licem vitae & literarum cursum, in currendo felicem
ut contingas metam, inq; meta tranquillum vitae
portum, ac post fata caeleste consortium!

PETRUS LINSTORPHIUS.

Pleides Petro Pandunt Pia Pulpiza Phabi!
Eminet Egregiis Exstantibus Elogiisq;
Thespiadum Templumq; Tener Tolerans Tetigitq;
Raptim Retribuent Requiem Kursu Reverenter,
Undecies Ungentes Urania Venerandum,
Sydere Sic Scandes Studiis Sat Sympotriota.

Pereximio Dn. Patriotae, prolixiori affectu
quam verbis gratulabatur

JOHANNES J. ROGBERGIUS, Smol.

Viro Præstantissimo,

*Tam virtutum quàm animi candore, artiumq;
liberalium culturâ conspicuo & pereximio,*

Dn. PETRO LANGELIO

Ut Sympatriotæ & Amico dulcissimo, ita fau-
tori optimo, corpora naturæ mimima sobrie
& solerter publicè defensuro,

Sapphica Ode.

L Impidum Musæ modulanto Carmen,
Clangor & chordis resonato Tensis!
Tempus est lætum: referant honores
Cornua cantus!

Diva Parnassi celebrisqve rupes,
Pande confestim rutilas corollas
Floribus textas, Dædumqve Sylvis
Frondea ferta!

Pindus & vertex Heliconis amplas
Allevant Portas, Charitesqve amœnas
Omne collustrans radiansqve Titan
Adspicit æquus.

Nec tamen multum properante gressu,
Jure sed justo Juvenem Camœnæ
Et virum ipectant simul huncce PETRUM,
LANGELIUMqve.

Germinans arbum veluti colonus
Falce detondet; nec acumen oris,
Mentis aut noster vegetum vigorem
Deproperabat
Maeste

Macte sic Zelo, Patriota amice,
Gaudium fundis jecori Parentis,
Incolam tandem & Paradisus accit,

Pulvere spreto!

Animo amicissimo modulabatur
ISRAEL T. MALMBECCHIUS
Smol,

O Quantum est studijs operari nocte dieq;!
Fructus is tandem sentiet, atq; sui
Commoda digna feret longi duriq; laboris;
Qua tibi, mi frater, comprecor & voveo!
Tu namq; teneris, ad ductum & vota parentum,
Auspice Trinuno, moribus ingenuis,
Cum doctrinâ & arte bonâ, sic ritè litasti,
Ut tandem merito cingat Apollo caput,
Quod tibi quamprimum fieri pleno apprecor ore,
Invidi ut hoc videant, quiq; sinistra volunt.
Ecce offers specimen doctus ex asse politum,
Doctrinamq; probas omnibus ipse tuam.
Gratulor unde tibi patrie atq; parentibus; imò
Omne felici gratulor ipse mihi!
Det cursum studijs (votorum hac deniq; summa est)
Prog; labore tuo premia larga Deus!

Sic prolixum suum affectum paucis
declarat Tuus germanus frater

BRODDO LANGELIUS.

